

Johannes de Raey, various fragments on Descartes. Transcription from ms. Don. Var. Nr. 145 4to, ms. Thott 578b 4o, Copenhagen, The National Library of Denmark, Cod. phil. 323 W. 28, Hamburg, Staats- und Universitätsbibliothek Carl von Ossietzky, BPL 907, Leiden, University Library.

The fragments are subjects of a forthcoming publication.

Andrea Strazzoni, May 2021. This work was supported by a Spark Grant of the Swiss National Science Foundation—SNF (grant number CRSK-1_190670).

The text and the punctuation have been normalized to contemporary standards.

Conventions adopted in the transcription:

- 1) The text deleted in the manuscript has been put between brackets <>.
- 2) Interlinear additions are put between symbols \/,
- 3) Marginal addition have been put in footnotes.
- 4) Dubious text is put between brackets { }. Whenever possible, I have provided the deleted or dubious text, otherwise, I have used dots ... instead of the illegible letters.
- 5) My additions are put between brackets [].

Meditationibus) [...] Materia autem meditandi ex omni genere desumi potest, vel ex litterarum studio, vel ex mundi volumine, vel ex meditatione. Ita ut meditatio una alteram pariat: atque ac triplici materia instructus erat author noster. Qui anno aetatis 15 praecipua ex iis, quae in Dioptrica habentur invenit, anno aetatis 20 cogitare coepit de Terrae corticibus, quam meditationem Galileo per epistolam communicavit, ut referunt, qui neverunt. Algebra etiam 15 anno aetatis ex proprio cerebro invenit, quaestiones nam mathematicas a magistro sibi propositas, hoc compendio resolvebat. Libros ut novellas tantum inspexit.¹

Eram tunc) 23 annos natus, nam lucem primo vidit Hagae Turonicae 1596. 1617 Bredae fuit, ubi nomen militiae coepit, [...]. Tunc problema geometricum erit quod qui solveret, programmate Bredae affixo, ei premium statuebatur. Author noster nondum Belgiae callens, ex Beeckmanno, Dordraci Rectore, ibi praetereunte, auditum quid esset, statim solvit. Ex quo fama spergebatur Gallum militem quaestiones geometricas posse solvere, quod ne doctissimis quidem viris possibile

¹ Don. var. Nr. 145, 11.

erat. Ita hic clavem omnium solutionum invenit, ut vel famulus eius in eo peritissimus fuit.²

Nonnulla etiam metalla) [...] Sine hac philosophia nihil chymicus scire potest. Cavendum autem nobis erit ne confundamus scientiam empiricam et experimentalem, cum philosophica. Ex hac philosophia author noster docuit celeberrimum illum chymicorum Elichtmannum, experimenta illa, quae ubique terrarum variis sumptibus inquisiverat.³

Ante octo annos) 33 aetatis, 1629. Nam liber hic editus est, 1637. Et primo quidem Amstelodami vixit, ubi ad Balsac summum Galliae oratorem epistolam scripsit, quae extat, in qua multis rationibus Hollandiam Italiae praeferre lepide contendit. Sed lucem hanc eminentem cum inimici eius non ferrent, quod notatu dignum est, exemplo Christi (absit indignitas), huc illuc diu vagatus est, et tandem quietis studio in ultimos Hollandiae fines, Egmondam secessit. Iniuriae authori nostro tantae fuere (ut vel videre est, in Epistola ad Voetium) ut Rex Galliae de iis per litteras apud Ordines harum Provinciarum querelas egerit, et Princeps Henricus Fredericus his furoribus auctoritate sua intercesserit.⁴

Vocat vero author librum hunc Principia, vel ut prius (in exemplaribus nempe quibusdam manuscriptis) Elementa philosophiae, ad imitationem Euclidis.⁵

Principiorum) [...] Author vero primum vocabat hunc librum suum Elementa philosophiae, ad imitationem Euclidis, quod eodem reddit.⁶

Et inter caeterea) O felicissimum inventum! De quo author merito gratulari sibi visus est, in chartis quibusdam post eius mortem inventis, dum inventi alicuius longe felicissimi mentionem facit, praे omnibus quae in tota vita invenerat.⁷

Ne quid amplius) [...] Haec est una et praecipua ea victoriis, quas author se reportasse gloriabatur: atque haec doctrina continet unum ex maximis arcanis philosophiae nostrae.⁸

2 BPL 907, 4r–v.

3 Don. var. Nr. 145, 505–506.

4 BPL 907, 8r.

5 Don. var. Nr. 145, 98.

6 BPL 907, 8v.

7 Don. var. Nr. 145, 12.

8 Don. Var. Nr. 145, 209–210.

Existimandi) [...] Rogatus aliquando author noster, an res theologicae eadem methodo inveniri possint, affirmavit, excepto quod illae in nonnullis fugiant humani ingenii vim.⁹

Nonnihil evagentur) [...] Authori nostri in discursu quodam cum amico excidit: vortices similes esse spumae maris, quemadmodum enim hic fatus bullam extendit, sic vorticem materia subtilis.¹⁰

Ingenii) [...] Cogitandi celeritas dependet a spirituum vigore. Hinc non Gallos suae philosophiae capaces esse dixit author, sed potius ad mercaturam, rethoricam, et poësin esse obligandos, propter summas eorum in cogitando celeritatem.¹¹

[...]

Satis temporis) Tale est ingenium Italorum, uti et Gallorum. Quos eapropter author ineptos esse iudicat, ad suam philosophiam percipiendam. Atque propter hanc Gallorum petulantiam, plerumque assuecant studiis mathematicis, ut sedatum inde colligant animum. Atqui magnum privilegium habet ingenium velox, fatemur ad medicinam, poësin, iurisprudentiam, linguas, et mercaturam multum valere.¹²

A sensibus et per sensus) Hoc est quod vel propria sensuum perceptione vel experientia agnovi, vel auditu ab aliis accepi per traditionem. (Ita rogatus ipse explicuit author).¹³

Sed genium aliquem malignum) Potuisset author, hac suppositione omissa, simpliciter fingere seu supponere falsa esse ea quibus in ineunte aetate credulitatem suam addixerat, eaque suppositio nil potuisset, frequenti conscientia et experientia nostrorum errorum. Sed quia nimirum nihil omittendum erat quod a pertinacissimo obiici vel fingi posset, author prudenter admodum, hoc etiam largitur adversario supponitque non modo nos falli in opinionibus nostris a nobismet ipsis, verum etiam aliquem esse extra nos qui nobis imponat. Et ut omnem cavillandi occasionem effugeret a Deo quem fontem veritatis vocat transfert istam fraudem in rem cogitantem et satis potentem aliam, quales censentur esse genii sive mentes separatae. Et quanquam vix quisquam inter Christianos certitudini suae scientiae sibi {...} a malis geniis, certum est gentiles multo maiorem

9 Don. var. Nr. 145, 22.

10 Don. var. Nr. 145, 384.

11 Don. var. Nr. 145, 4.

12 Don. var. Nr. 145, 14.

13 Thott 578b, 19.

vim iis attribuere multasque eorum experiri imposturas. Philosophia autem generalis esse debet et nulli religioni mancipata. Accedit denique peculiaris ratio huius suppositionis, quod primo multum iuvet ad distinctam cognitionem mentis si fingamus et nostri corporis et aliarum rerum corporearum ideas nobis aliunde obtrudi, quia tam manifestum est mentem quae habet tales ideas nullam talem rem corpoream esse. Adde quod valde {...} et certa debeat esse conclusio, {...} stante tam hyperbolica hypotesi sistere potest: prout videmus sequenti Meditatione de existentia mentis.¹⁴

E regione) In Gallico haec habentur: e regione centrorum horum vorticum, ut in spatio praecedentis figurae pag. 100, quod est in linea recta quae duci potest ab S ad F.¹⁵

Vicinis) In Gallico textu, qui accuratior est, additur: ut in spatio, quod est in linea recta, quae duci potest ab S ad F.¹⁶

Obsistant) Adde ex Gallico: a qua dispositione pendent exacta liquorum mistio, puritas, et homogeneitas, exemplum habemus in aqua salsa.¹⁷

Sentit) Motumque corporis gubernat, nam unum et idem principium esse debet actionum et passionum.¹⁸

Sentit) Motumque corpus gubernat.¹⁹

Sentit) Motumque corporis gubernat, addidit author in Gallico textu.²⁰

14 Thott 578b, 31–32.

15 Cod. phil. 323 W. 28, 168.

16 BPL 907, 51r.

17 Don. var. Nr. 145, 457.

18 Don. var. Nr. 145, 561.

19 Cod. phil. 323 W. 28, 221.

20 BPL 907, 88r.